

non est nisi fructus, et effectus quem religio producit, non autem religio ipsa. Notiones rerum confundi non debent, alioquin oriatur confusio. Sic expressio amoris non est nisi affectus, quem inspirat ipsa religio, non verò ab ipsa enascitur religio, quæ absolutè stare potest absque ejusmodi expressione.

IV. Obj. : Deus ipse commendat tolerantiam religiosam; 1° Deus enim, inquit Salvador (1), creare voluit cælum ac terram in bonum omnium hominum. 2° Fœdus inivit cum Noe cunctorum hominum parente. 3° Moyses neque allexit neque impulit unquam socerum suum ad relinquendos deos suos; 4° bona Noemi dicebat nuribus suis: « Itē, revertimini ad populum vestrum et ad Deos vestros (2); » 5° legati Jephthe loquuntur non sine veneratione de Kamos Ammonitarum Deo (3); 6° Michæas progressum est eò usque, ut ratione formali ac positivā prærentiaverit tempora tolerantia generalis: « concident (populi) gladios suos in vomeres... non sumet gens adversus gentem gladium... quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine (Jehovah) Dei nostri in æternum et ultra. » Conf. Is. 2, 4. Ergo.

Resp.: Nego ant. Ad primum, dist.: In bonum omnium hominum creare voluit cælum et terram, ut omnes homines, tantis beneficiis per eum cumulati, eum colerent ac digno obsequio et amore prosequerentur, concedo; ut sic ostenderet sibi placere tolerantiam religiosam, id est, omnium superstitionum fœdissimarum cultum eumque probare, nego. Quis enim tam stultum nefas in animum inducat suum nisi atheus? Si quid valeret hoc argumentum, sive inductio Judæi philosophi Salvador, id etiam sequeretur, quòd nempe Deo placerent homicidia, furta, blasphemias, flagitiaque omnia, in quæ homines scelesti facillè adeò prolabantur, cum et pro ipsis creaverit Deus cælum et terram, et plueret faciat super justos et injustos. Attamen adversarius noster id etiam præ oculis habeat, Deum nempe creasse pariter paradisum et infernum, ut pro meritis post præsentem vitam decerneret vel præmia vel pœnas. Deus quidem vult ex animo omnes homines salvos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire; quòd si homines desciscunt, si malunt cupiditatibus indulgere, et colere opera manuum suarum, et veri Dei, qui fecit illos, oblivisci, etsi creaverit pro ipsis etiam cælum et terram, æternum tamen, nisi respiciant, à Deo punientur.

Ad secundum, dist.: Quatenus nunquam ampliùs diluvio esset homines perditurus sicut priùs, concedo; ad cohonestandam tolerantiam religiosam, nego. Quin potiùs, ne vera religio oblivioni daretur, vel humanis commentis corrumpere, elegit sibi Abraham ejusque posteritatem in populum peculiarem, cui commissam voluit revelationem suam, donec veniret plenitudo temporis, in quâ gentes ab erroribus revocarentur ad veri Dei cognitionem

(1) Hist. des institutions de Moïse, p. 120.

(2) Ruth c. 4, 15.

(3) Jud. 11, 24.

et amorem; quod suo tempore ostendemus (4).

Ad tertium, dist.: Nunquam allexit neque impulit socerum suum ad relinquendos deos, quos non habebat, concedo; quos habebat, nego. Jethro enim erat cultor, imò sacerdos veri Dei, cui in deserto obtulit holocausta et hostias, ut patet ex libro Exodi (2). Non poterat proinde Moyses eum impellere ad falsos deos relinquendos. Cæterum quòd non impulerit etiam ut sese cum populo Israel conjungeret, ac proinde profiteretur cultum Mosaicum, hoc falsum est, ut rursùm patet ex lib. Numerorum, c. 10, 29-31, ubi et semel et iterùm eum invitavit, multa bona ei promittens. Judaicane an potiùs philosophica est hæc fides integerrimi? illius Salvador?

Ad quartum, nego prout profert Salvador, nunquam enim dixit Noemi: *Ite, revertimini ad populum vestrum et ad Deos vestros* (3), sed solum: *Revertimini, filia mea, et abite*; cum verò discessisset ab eà Orpha, altera ejus nurus, dixit Noemi ad Ruth: *En reversa est cognata tua ad populum suum et ad Deos suos, vade cum eà*, ita ut sensus sit: *Vade et tu in terram tuam, prout et illa perrexit, quæ quidem profata est Noemi, ut interpretes passim exponunt, ad explorandam Ruth constantiam atque animi propositum* (4). Quid igitur ibi habetur, quod vel innuat tolerantiam religiosam.

Ad quintum, dist.: Id est, ad mentem Ammonitarum ac Moabitum, concedo; ex mente Jephthe qui non credebatur nisi in verum Deum, nego. Ut si nos argueremus adversus Islamitam ac diceremus: Si tuus propheta Mahumedes hoc tibi præscripsit, etc., numquid hinc sequeretur nos habere Mahumedem, ut verum prophetam, vel de eo loqui non sine veneratione? Non puto. Talis verò est sensus legatorum Jephthe (5).

Ad sextum, nego. Imò contrarium omninò vaticinatur, sensus enim est: Etsi omnes gentes ambulent in vanitate sensus sui, falsos deos vel idola colentes, nos tamen semper ambulamus et ambulabimus in nomine Jehovah Dei nostri; en quomodò verbà Michææ vertit Rosenmuller, qui interdum ab eo in medium profertur: « Nam omnes populi ambulabunt in nomine Dei sui, nos verò ambulamus in nomine Jehovah, Dei nostri in perpetuum et æternum (6); » qui præterea sic pergit exponendo sensum propheta: « Id est, quòd Jehovah vobis spem faciat tam præclare restitutionis, oportet vos bono animo stare, et hæc promissione fretos pergere in vero ejus cultu, utcumque aliæ gentes suis diis serviant, et in suis superstitionibus superbiant; » consonat

(1) In tract. de Incarnatione.

(2) C. 18, 12.

(3) Sic enim Salvador refert verba Noemi: *Allez, retournez à vos peuples et à vos dieux*; jam verò etiam si recederemus à versione vulgatâ, hebraica veritas ita se habet: *שובה ברת לך*

(4) Ita exponunt non solum interpretes catholici, à Lapide, Tirinus, Calmet, etc., sed ipsi protestantes, ut videre est in criticis sacris ad h. l.

(5) Ita pariter hæc textum exponunt cit. interpretes.

(6) In h. loc.

Chaldaeus paraphrastes, qui sic reddit citatum verbum: « Etenim omnes populi ambulabunt juxta id, quod idola colunt; nos verò confidimus in verbo Jehovah, Dei nostri, in seculum et in secula seculorum (1). » Hæc ignorare non poterat Judæus auctor; ubi igitur est formalis, imò *formalissima*, ut ipse loquitur, et positiva prædictio futuræ alicujus tolerantia generalis (2)? Quare verò proferat auctor Isaiam, cap. 2, 4, non video, cum ibi nec syllaba nec iota habeatur ad rem suam.

Inst.: Intolerantia civilis nullo modo distingui potest ab intolerantia religiosa. Dux enim hæc intolerantia sunt prorsus indivisibiles: impossibile siqui-

(1) Ibid.

(2) En verba auctoris: « Il va jusqu'à prophétiser de la manière la plus formelle et la plus positive les temps de la tolérance générale: un jour tous les peuples cesseront de combattre, et prendront plaisir à la paix; chacun marchera en invoquant le nom de son Dieu; Israël toujours le nom de Jehovah. » Perfrictæ frontis sunt ii, qui fidem omnem abjecerunt.

CONCLUSIO.

Ex iis, quæ hucusque disseruimus, primum est colligere totum christianæ religionis systema in auctoritate fundari. Deus enim ita disposuit, ut homo, qui limitibus circumscriptus est, ac errori obnoxius, rationem suam subieceret ipsius auctoritati; quare non contentus revelare veritates, quæ intra rationis ac naturæ fines continentur, revelavit præterea veritates, quæ humanæ mentis aciem atque obtutum superant, ut homo disceret munus sibi incumbere subjiciendi propriam rationem in iis, quæ ad fidem ac religionem pertinent, atque Deum statuisset mundum salvare per fidem.

Donec veniret plenitudo temporis, extraordinaria providentia, ut vidimus, ipsemet prospexit revelationis suæ incolumitati atque integritati (1). Ac cum

(1) Prout fatetur ipse Limborchius, etsi socinianus, in sua *Amica collatione cum erudito Judæo*, nempe Orobio. Cum enim Orobius in tertio scripto objecisset: « Nunquam tot difficultatibus, dubiis et variis intelligentiis obnoxium fuisse verbum Dei quam sub evangelio; in ecclesia Israelis nullas enatas sectas, nisi jam depravato sæculo, et de rebus ad legis essentiam non pertinentibus; » respondet Limborchius ad istud secundum punctum: « Quod ecclesia israelitica in principio variis opinionibus agitata non fuerit, causa fuit crebra prophetarum, qui spiritu divino commovebantur, frequentia, quorum auctoritatem omnes excipere tenebantur » (cap. iv, resp. ad tertium Judæi scriptum). Ergo, colligo, auctoritas et quidem divina necessaria est ad unitatem servandam, alioquin hominum ingenia dilabuntur. Quoad dissectiones enatas post evangelium, facile fuisset catholico respondere, ipsas non ex evangelio ipso emeris, sed ex privatorum perduellione ab illa auctoritate, quæ divinitus constituta est ab ipso evangelio

dem est pacificè vivere cum iis qui tanquam inimici Dei habentur (1). Ergo.

Resp.: Nego ant. quoad omnes partes. Non solum enim distingui possunt duæ istæ intolerantia, sed distingui omninò debent, ut distinguuntur et differunt inter se objectum temporale et spirituale. Regis enim seu magistratûs qualiscumque est pœnas in delinquentes contra incolumitatem reipublicæ decernere, vel eas infligere. Religionis est declarare eos, qui culpabiliter falsitatem vel errorem sectantur, extra viam salutis esse, et eos interea non solum pati, sed amare, iis benefacere, atque omnimodè eorum salutem procurare ad exemplum Christi et Apostolorum qui non solum pacificè vixerunt cum iis, qui pervicaces in suis erroribus erant, sed omni beneficentia argumento eos persecuti sunt, ut eos sibi conciliarent. Eò magis quòd nos semper lateat, num isti aliquando non sint reversuri ad veritatem, ac respiciant. Quandiù vivunt, juvat spem aliquam alere de eorum conversione; quod non rarò feliciter habet exitum.

(1) Ita Rousseau, Emile, liv. 4, t. 5.

misit Filium suum ad homines retrahendos ab illis ignorantia tenebris, quibus ipsi sua culpa obvolvuntur, utpote obliiti, magna saltem ex parte, illarum veritatum quas jamdiu Deus ipsis patefecerat, atque ad dandam illis pleniorẽ sui cognitionem, constituit, ut haberetur magisterium jure, infallibile, visibile, atque perpetuum, quo tuto dirigerentur in salutis viâ; neque a veritatis tramite, ut antea, aberrarent. Hoc verò magisterium posuit in ecclesia, quam Christus fundavit, eam sibi acquirendo sanguine suo, ac præcise in pastorum cœtu sub regimine unius capitis visibilis, quod in totum corpus influeret, quodque fundamentum totius ædificii ecclesiæ suæ esse voluit. Constituit, ut huic ecclesiæ omnes subicerentur, nisi velint haberi tanquam ethnici et publicani, id est extorres ab hoc individuo corpore seu societate a se constituta, ac rei criminis perduehionis, ideoque æternæ damnationis.

Huic ecclesiæ revelationis depositum consignavit; mandavitque, ut ipsa in nomine suo prædicaret evangelium omni creaturæ; id est in omni loco et omni tempore, adistentiam suam promittens, ne unquam in hoc ministerio vel deficeret vel erraret. Voluit ut pignus adistentiæ suæ præferret miracula, vaticinia, aliaque charismatum dona, nec non

auctore, nempe ecclesia catholica. At sociniano homini alia via invenianda erat, quæ satisfacere expositioni Judæi nullo modo potest, ut legenti ejusmodi effugia, quæ hic habet Limborchius, patet; neque melius, ut supra monuimus, huic ipsi difficultati satisfacere possunt protestantes.

fœcunditatem, non solum in filiis gignendis, sed provehendis usque ad plenam sanctitatem.

Hæc autem ecclesia, quæ cœpit in Petro et in apostolis, continua et nunquam interrupta successione, velut persona moralis semper jugiterque perseveravit, ac plena vita producta usque ad nos, prout ex divinis promissis semper jugiterque una et individua perseverabit usque ad consummationem sæculi, ambiens omnia loca et omnia tempora, semper præseferens divinæ adstantie pignora et argumenta. Restitit enim firma et invincibilis adversus sibi prænunciatas inferni machinationes, tum externas ex parte ethnicorum seu infidelium, tum internas ex perduellione filiorum suorum. Sibi sufficiens, seu potius divino præsidio ac divinis pollicitationibus innixa, independentis omnino est ab hominum sive favore sive furore; humanos favores spectat ut media, persecutiones et iram ut probationes, sed nec illis innititur, nec istas formidat, et sæcula trajicit novis semper triumphis clara, uberes sanctitatis fructus producens, homines nempe tum omnibus virtutibus tum charismatum donis insignes in testimonium divinæ originis suæ, ac novos semper filios in cœlum transmittens, usque dum et ipsa, non habens neque rugam neque maculam, cum completus fuerit electorum numerus, regnabit in perpetuas æternitates.

At sicut Deus voluit unitatem ecclesiæ suæ constitutam esse in principio auctoritatis, e converso sectæ ab hac auctoritate divinitus constituta, descendentis, ut ductum spiritus privati seu rationis, ut vocant, individualis, sectarentur, oppositum ecclesiæ magisterio principium dissolutionis ac divisionis substituerunt. Quo principio semel posito, factum est, ut nunquam illæ inter se unitatem doctrinæ conservare potuerint, atque, ut consequens erat, nunquam sibi constantes nisi in sola mobilitate, de nobilitate in novitatem, de errore in errorem prolapsæ sint; novas semper confessiones edentes, ac in frustula comminutæ, donec consumerentur atque perirent, ut sal in aqua dissolvitur. Ita veteribus sectis accidit, ita novis, quæ desierunt in naturalismum seu rationalismum, ultimum, juxta Leibnitzium, hæreseos genus (1). Quod si interdum atque ad tempus

(1) Non me fugit Ephemeridem evangelicam ecclesiasticam (mens. Janua. 1850, n. 5, 6) vehementissime insurrexisse contra rationalismum, ac contra doctores Gœsenium et Wegscheider, professores theologiæ Hallæ. Censura autem adeo fuit virulenta, ut non solum commoverit horum professorum auditores, sed compulerit facultatem theologicam ad invocandam ministerii protectionem adversus impugnationes æmulæ Berolinensis Universitatis (vid. *Appendix extraordinaria. Ephemer. univers.* n. 26, 1850). At quis non videt hanc agendi rationem destruere principium et essentiam reformationis? Si enim, ut toties dictum est, essentia reformationis consistit, ipsis latentibus, in plena examinis libertate atque in plena independentia spiritus privati a qualibet auctoritate, quo jure Berolinenses exardescere possunt adversus rationalistas, si isti corollaria deduxerunt ex principio et essentia reformationis? Si ipsis persuasum est, se in scriptura non invenire nisi purum rationalismum, quo jure id illis objicitur, quod reformatores

consistere visa est inter hæreticos protestantes antiquiores et modernos aliqua unitatis species, id factum non est, nisi quia ipsi non fuerunt consentientes suo proprio principio, substituentes, sive aperte, sive occulte, propriam auctoritatem auctoritati ecclesiæ catholicæ, quam deseruerunt. Sublata enim auctoritate, necesse est ut auferatur unitas, imo unitatis principium ac proinde ecclesia ipsa, quia sublata auctoritate non remanet nisi individualis libertas, individuus cujusque sensus; et vinculum dirumpitur, quo simul ejusmodi membra secum cohareant, adeo ut sectæ non sint nisi aggregatio turbarum, seu etiam individuorum quorum alterum nihil habet cum altero commune, nisi principium dissolutionis ac divisionis, seu unitatem negativam, id est, privationem essentiali cujuscumque compaginis atque unitatis.

Neque huic auctoritatis ecclesiæ catholicæ defectui supplet auctoritas scripturæ, ut protestantes repouunt: nam præterquam quod ipsis constare non potest de numero, de integritate, de divina inspiratione sacrarum librorum ac singularum eorum partium nisi ex testimonio et auctoritate ecclesiæ catholicæ, a qua, ut ipsi loquuntur, se tandem in libertatem vindicarunt (1), ac proinde cum integrum unicuique sit, ex principio examinis spiritus privati, eos admittere vel rejicere, ut factum ostendimus a protestantibus recentioribus, quemadmodum semper factum est a protestantibus antiquis (2), illud ipsi constituunt tanquam remedium, quod semper fuit omnis mali origo. Neque enim, ut præclare jam observaverat S. Augustinus (3), *nata sunt hæreses, et quadam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.* Adeo ut nulla unquam fuerit hæreticorum secta, quæ non inniteretur alicui scripturarum auctoritati (4).

Interea Deus ordinatissima providentia sua permisit, ut hæreses et sectæ orirentur, viventibus adhuc apostolis ipsis, ut ex ipsorum agendi ratione adversus ejusmodi novatores protestantes, compertum esset toti posteritati seu subsequenti sæculis, tum quænam esset hæreseos origo, tum ratio, qua ecclesia se gerere deberet cum hæreticis seu protestantibus orituris; ut hos nempe expelleret e sinu suo, et fideles præmuniret adversus eorum conatus ac subdolas versutasque artes; tum demum ipsis, nisi resipuerint,

sibi arrogarunt? Adeo verum est nullum dari medium inter catholicismum et rationalismum sive deismum. Quilibet enim apud protestantes potest respondere: *Quis nostrum iudices vos constituit?*

(1) Nempe sicut filius prodigus se emancipavit ab auctoritate paterna.

(2) Nempe ebionitis, cerinthianis, marcionitis, manichæis, etc., qui et ipsi rejecerunt eos libros, quos ipsi rejicere placuit.

(3) Tract. xviii, in Joan. tom. iii, p. 440, edit. Maur.

(4) Cons. Vinc. Lirin. *Commonitorium*, n. 25 et seqq., *Curs. compl. Theol.*, tom. i.

semperiterno exitio certo addicendos denunciaret, nullum interponens discrimen inter hæreses et hæreses, hæreticos et hæreticos. Quodcumque enim quis reus est protestantismi, seu protestationis adversus ecclesiam, quam Christus instituit depositariam perpetuam revelationis, magistræ et interpretem, seu, ut loquitur Paulus, *columnam et firmamentum veritatis* (1 Tim. III 15), certissime ejusmodi pœnam incurret.

Non exiguum tamen emolumentum cepit, aut capit ecclesia catholica ex ejusmodi semper sibi succedentibus hæresibus et sectis, ipsarumque perpetua mobilitate, ortu et interitu. Ac 1. quidem ex occasione exorientium errorum diligentius inquiri in fidem suam, explicatè et luculentius evolvi veram doctrinam, ut inde magis appareat pulchritudo totius catholici systematis, et nexus intimus omnium veritatum, quas profitetur, ut reipsa semper factum est, quoties quilibet novator aliquam veritatem impugnavit. 2. Ut ex perpetuo conflictu, quem sustinere debet ex parte hæreticorum, vigilet semper, firmioremque quodammodo auctoritatem nanciscatur. Etenim prout justi ex malorum insectatione probantur, ac magis eorum virtus nitet, sic ecclesia, quæ est, ut sæpe diximus, moralis persona, ex sectarum machinationibus, malis artibus, calumniis, imo sæpe ferro et igne, pulchrior semper ac nitentior splendet. 3. Ut omnibus planum compertumque sit, ecclesiæ stabilitatem ac firmitatem non aliunde quam a Deo ipso ejusque promissis esse repetendam, dum opera hominum continuo diffiunt ac dissolvuntur. 4. Ut ex sterilitate hæreticorum omnes discant jugem ecclesiæ catholicæ fœcunditatem Deo soli acceptam esse referendam, non autem humanæ cuivis industriae vel hominum conatibus, quia: *Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui edificaverunt eam; et: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (1 Cor. III, 7). 5. Ut discant omnes, fidem donum Dei gratuitum esse, neque scientia comparari posse, neque humana industria, quibus virtutibus certe pollent plures inter sectarios, nec quempiam de se debere præsumere, et: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (1 Cor. X, 12); quum Deus de se præsumentes dimiserit in desideria cordis eorum ac dicentes se esse sapientes, stulti facti sint, et Deus errare eos fecerit quasi ebrios; adeo ut vix sit errorum monstrum sive theoreticum sive practicum, in quod plus minus ejusmodi sapientes non inciderint, et vix sit contradictio, in quam ipsi turpiter non sint prolapsi; sic neminem aliter posse in fide perseverare nisi humilitate et oratione, prout nemo ad veram fidem nisi humilitate et oratione accedere potest: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. IV, 6). Neque mirum cuiquam videri debet tantam hominum multitudinem in hæresi vel schismate versari, dummodo is secum animo reputet, ante adventum Christi, Deum dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, una excepta hebraica natione; post Christum vero, vocatas quidem fuisse gentes ad fidem, ast judaicum populum in exercitatem

ac mentis stuporem incidisse (1).

Cum igitur ex dictis duplex tantum sit ad veritatem via, ratio videlicet et auctoritas, omnes de religione controversiæ ad hunc cardinem, ut ita dicam, revocantur: utrum videlicet in religionis negotio auctoritas rationi, an contra ratio auctoritati sit præferenda; vel clarius etiam, utrum per viam disquisitionis et examinis, instituendi per privatum uniuscujusque spiritum, seposita omni auctoritate, an vero per viam fidei ac submissionis publicæ ac legitimæ auctoritati in religionis negotio sit incedendum; vel etiam ulterius: utrum standum sit auctoritati ecclesiæ catholicæ, an vero, ista posthabita, unicuique liberum relinquendum sit Scripturas privato sensu admittere et interpretari, ac cadere sibi religionem, prout magis minusve quidpiam probabile videatur (2). Dixi ecclesiæ catholicæ auctoritati; nam si systema seu via auctoritatis admittitur, nullum dubium esse potest aliis quibuscumque eam ecclesiam prævalere auctoritatis pondere, quæ omnes certo vincit sive antiquitate, sive universalitate, sive unitate et consensione, imo nulla est, quæ cum ipsa comparari possit.

Jam vero non potest admitti via sensus privati, quin incidamus in illa omnia absurda, quæ recensuimus, quæque eo tandem homines deducunt, ut omnem fidem amittant, incidantque in perfectum scepticismum religiosum, adeo ut nemo sciat quid tenere, quid respuere debeat, sed majori tantum aut

(1) Vincentius Lirinensis internos hæreticorum tumultus cruciatusque graphice describit in suo *Commonitorio*, cap. 20, dicens: « Heu miseranda conditio! Quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur! Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reversi, tanquam contrarii fluctus, relidantur; nunc temeritatis presumptione, et ea, quæ incerta videntur, adprobant; nunc irrationali metu etiam, quæ certa sunt, expavescent; incerti, quæ eant, quæ redeant, quid adpetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii et male penduli cordis afflictio divinæ erga se miserationis est medicina, si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum catholicæ fidei portum diversis cogitationum quatuor, verberantur ac pene enecantur procellis, ut excussa in altum elatae mentis vela deponant, quæ male novitatum ventis expanderant, seseque intra fidissimam stationem placidæ ac bonæ matris reducant et teneant, atque amarus illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vive et salientis aquæ fluentia potare. Dedicant bene quod didicerant non bene; et ex toto Ecclesiæ dogmate, quod intellectu capi potest, capiunt, quod non potest, credant. » Vid. *Curs. compl. Theol.* tom. 1.

(2) Sane in Ephemeride protest. (*Le Globe*) n. 157, aperte scribitur: « Notre siècle doute, et, dans le doute, sa religion c'est sa liberté, parce que c'est le seul dogme, qui permet à chacun de suivre ce qui lui plaît aujourd'hui, de le rejeter demain. Le caractère de ce siècle est de ne pas avoir une religion, mais d'en avoir mille, mais d'en avoir presque autant qu'il y a de familles dans chaque nation. » Potuisset insuper adjicere quot sunt individua in qualibet familia. Hic graphice describitur systema protestantismi, quod consistit in nulla habenda religione, nulla fide, sed in proficundo purum dubium, prout suo loco meminimus.

minori probabilitate quadam permoveatur. Unde fieret, ut disputare liceret de religione eodem fere modo ac olim disputabatur inter philosophos; religio vero non esset nisi systema philosophicum, sectæ autem totidem academicæ, vel scholæ philosophicæ, in quibus liberum est id tenere ac sectari, quod bonum unicuique videtur. Quis autem sobrius sibi persuadere poterit Deum sic dedisse revelationem suam, ut ejus existentia et sensus permitteretur hominum disputationibus, et omnia incerta, omnia confusa essent, ac religio desineret in pyrrhonismum vel philosophicam quæstionem (1)? In hoc systemate protestans sive hæreticus, divulsus ab ecclesia universa omnium sæculorum, quæque hætenus perdurat, segregatus a consortio eorum etiam, qui ecclesiam deseruerunt, cum quisque habeat ex principio protestantismi religionem suam individua-lem, et sibi a se cusam, solus est, velut insula sive scopulus, in medio mari procellis fluctibusque undique percussus. Quam vero spem, quodve solatium capere potest ex religione sua? Quid si erret? Quod iudicium sibi polliceri poterit a Christo Domino post mortem? Omnia plane in hoc systemate horrorem ingerunt, ac plèna omnia formidine sunt. Contra vero catholicus, in systemate seu principio auctoritatis securus vivit; ipse communicat cum ecclesia omnium sæculorum et locorum omnium; consortio fruatur apostolorum, martyrum, sanctorum omnium ætatum: nullum unquam poterit ob religionis suæ professionem periculum subire, nisi (quod absurdum

(1) En quomodo ab alio folio protestantico progressus protestantismi describitur: « C'est au seizième siècle que la première fois, dans la série des événements qui nous intéressent, on voit la liberté de conscience ouvertement et nettement érigée en principe; mais d'abord ce n'est point cette liberté illimitée qu'on a réclamée depuis, c'est seulement la faculté de croire, sur un certain nombre de points déterminés, autrement que l'Eglise catholique. A mesure qu'en se succédant, les sectes, qui s'élèvent du sein de l'Eglise, prétendent s'éloigner davantage de sa doctrine, elles reculent aussi théoriquement les bornes de cette faculté qu'elles s'attribuent par le fait. Les Ecritures sacrées avaient été d'abord le champ où il paraissait convenu que la liberté de conscience devait se renfermer; bientôt cette limite est franchie; la religion par quelques hommes est réduite, dans son dogme, à une simple conception de la raison et du sentiment, et dans son culte à une pure relation métaphysique de l'homme à son Créateur; enfin les idées fondamentales de toute institution ou croyance religieuse sont elles-mêmes attaquées, et c'est à l'abri du principe de la liberté de conscience, toujours de plus en plus étendue, que ces divers degrés d'incrédulité se produisent tour à tour et essaient de se faire recevoir. » (Producteur; n. 9, pag. 408). Hoc ipsum, jam a quinto Ecclesie sæculo, rursus præviderat et prænuñciaverat, in suo admirabili *Commoitorio*, cap. xxiii, Vincentius Lirinensis: « Nam si semel admissa fuerit, » inquit, « hæc impia fraudis licentia, horreo dicere quantum excidendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia et alia, jam quasi ex more et licito abdicabuntur. Porro autem singillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur? »

omnino est) universa catholica ecclesia locum periculis daret; se ipse spectat veluti membrum magnæ familiæ, cujus caput invisibile Christus est, qui imaginem sui reliquit in Petro ejusque successoribus vicariis suis, in qua omnia bona communia sunt, universalis quidam amor omnia regit, in qua omnia sapientissima providentia a Christo ad nos usque perseverant, omnes eidem mensæ eucharisticæ assident; et si quæ humana fragilitate maculæ contrahuntur, per humilem culparum confessionem, in qua ex integra animi sui manifestatione magnum quisque a parente omnium amantissimo percipit solatium. Nunquam solus catholicus est, nec vivens nec moriens, sed sicut unus Dominus, ita una fides, unum baptisma, unum corpus et unus spiritus, sicut vocatus est in una spe vocationis suæ. Quia imo nec deseritur post mortem; pergit enim communicare cum ecclesia sua, sive militante, cujus suffragiis juvatur, sive triumphante, quæ munus ad ipsum tendit et ad se eum invitat.

Itaque vel nulla religio, vel sola religio catholica. Nullum datur medium; vel si medium datur, est medium incoherentiæ. Quia si Deus est, si divina providentia sua cuncta gubernat, per nexum quemdam validamque ipsius rationis vim ad catholicam professionem tandem deveniri debet.

Placet hæc omnia testimonio et auctoritate magni Augustini roborare et confirmare, qui non minus vere quam eleganter velut compendium exhibet eorum omnium, quæ hætenus fuse a nobis, in utraque hujus tractatus parte, discussa sunt atque exposita.

Si Dei providentia, scribit ipse, non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum; sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior, nescio quæ conscientia Deum quærendum, Deoque serviendum, meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur, non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes adtollamur in Deum. Hæc autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut sæpe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine... miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet, in quo genere nihil est populis aptius, et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admovetur. Sed rursus hæc in duo dividuntur; quædam enim sunt, quæ solam faciunt admirationem, quædam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volentem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit, convalescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiam caritate sperabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus,

surdus auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt; ita quædam corpori manifestiori beneficio, quædam vero menti occultiori signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant; sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Cur, inquis, ista modo non sunt? Quia non moverent nisi mira essent: at si solita essent, mira non essent. Nam diei et noctis vices et constantissimum ordinem rerum celestium... decedentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo loqui possimus, hæbescit obruiturque miraculis; nos vero hæc omnia, non cognoscendi facilitate, quid enim causis horum obscurius? sed certe sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissime, ut, his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas. Mores autem quilibet tantum valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quæ in his prava sunt, quod fere superantibus libidinibus evenit, improbare citius et detestari quam deserere aut mutare possimus. Parumne consultum rebus humanis arbitraris, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque in tam multis diversisque gentibus et credit et prædicat? Quod continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquæ, et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies continuata jejunia, quod castitas usque ad conjugis prolisque contemptum, quod patientia usque ad cruces flammæque neglectas, quod liberalitas usque ad patrimonium distributa pauperibus, quod denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci hæc faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt; sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi; populi suam

imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine pro-
fectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis
virtutis accusant. Hoc factum est divina providentia per
prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque
Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum con-
tumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum
prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus
tantis atque virtutibus, pro temporum opportunitate,
miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum
profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus
ecclesie condere gremio, quæ usque ad confessionem
generis humani ab Apostolica Sede per successiones
Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus et
partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravi-
tate, partim etiam miraculorum majestate damnatis,
culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel
summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogan-
tiæ. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque ani-
mis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides; quid
est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam
tanto labore præditæ auctoritati velle resistere? Et si
unaquæque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut
percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid
temerariæ superbiæ plenius quam divinorum sacramen-
torum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere,
et incognitos velle damnare? Quamobrem si quid te vel
ratio vel oratio nostra commovit, et si veram, ut credo,
curam tui geris; velim me audias, et bonis præceptori-
bus catholicæ christianitatis te pia fide, alacri spe,
simplici caritate committas; Deumque ipsum, cujus
unius et bonitate facti sumus, et justitia penas luimus,
et clementia liberamur, orare non cesses. Ita tibi neque
præcepta et disputationes doctissimorum hominum et
vere christianorum, neque libri, neque serenæ ipsæ cogi-
tationes defuerint, quibus facile quod quæris inve-
nias (1).

(1) Lib. De utilitate credendi, capp. 16, 17, 18, tom. viii, opp. edit. Maur.

TRACTATUS DE DEO EJUSQUE ATTRIBUTIS.

Proœmium.

Qui catholicæ religionis veritatem hætenus de-
monstravimus, iidem simul eorum omnium veritatem
demonstravimus, quæ ad ipsam religionem pertinent,
quæque ab ipsa traduntur. Siquidem tam apto hæc
inter se vinculo tamque arcto connectuntur, ut unum
idemque plane sint, neque alterum sine altero con-

sistere queat. Itaque jam esset acta res tota, nec ad
revincendos heterodoxos, modo sui compotes sint,
modo exca contradicendi libidine non abripiantur,
quidpiam deberet ultra requiri. Verum quia non hu-
jusmodi est religio catholica, ut, quemadmodum hæ-
reticorum sectæ, latebris atque ambagibus velit obtegi